



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 25. Vt proderet eum illis. v. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

à consortio Christi, à societate discipulorum eius, à mensa Christi quia diabolus stat à dextris eius, fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter, quoniam dilexit maledictionem & euenit illi & noluit benedictionem & elongata est ab eo, quando à vero Pontifice animarum iuit ad Pontifices Iudæorum.

Iesu bone Domine, vnde tanta maledictio? anne tecum quis existens perire potest, qui dixisti per Prophetam: *Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris: & cum perverso peruerteris?* Sed agnosco sententiæ huius vim non necessitatem interre sed quid humanitus fieri solear & sit prouum docere. non enim profuit misero huic sanctissimum Christi Collegium. annon enim hic Iudas electus à te cum cæteris Apostolis tuis? annon cum Sanctis conuersatus est? & quidem tecum quo nil sanctius, nil perfectius nihil omnino Quomodo igitur peruersus est? quomodo pergit? & recessit à te & sancta tua societate? *noluit intelligere vt bene ageret,* vidit bona exempla, audiuit pijs adhortationes, promissiones amplissimas regni cælorum, hæc floccipendens iniquitatē meditatus est in cubili suo, astitit omni via nec bona sic perijt, sic induit maledictionem sicut vestimentum. O te miserimum Iudam, melius tibi fuisset si natus non fuisses: aut non inter sanctos Apostolos connumeratus esses. Deus adiuua me miserum peccatorem, licet indignum me fatear tua facie ob multitudinem iniquitatis meæ, nec sinas me perueri aut perire, aut separari ab electis & sanctis tuis.

§. 24. *Abijt ad summos Sacerdotes. v. 10.*

Abijt à Christo ad summos Sacerdotes, non vocatus, non citatus, sciens congregatos in domo Caiphæ contra Christum Dominū eo quod oderant eum, sicut & ipse Iudas, modum captiuitatis & executionis propalaturus, vt captaret eorum beneuolentiam nummos lucraretur, ad honores promoueretur, & dignitates. Sic omnes auari & ambitiosi, modo lucrentur, perueniantque ad intentum siue honores siue diuitias abeunt à Deo ad diabolum, à Creatore ad Creaturam, emunt, vendunt produnt sine respectu Dei, honoris, & conscientia, Miserum genus hominum; quilibus fluctibus iactaris! quantis ventis!

O bone Iesu quam sæpe recessi à te? abijt à te? abscondi me à te? vt non curretem viam mandatorum tuorum, sed magis irem contra te, ad consilia impiorum, confortia iniquorum, in quibus te prodidi, vendidi, etiam sæpe pro nihilo propalaturus nequitas animæ meæ contra te. Heu abijt cum Iuda, redeo cum prodigo, tu me suscipe Pater amantissime!

§. 25. *Vt proderet eum illis. v. 10.*

Ecce exitus, secessus à Christo & Sancta Apostolorum Societate, prodi-

proditio Magistri sui, & hanc malitiam meditatus diu in corde suo erat, sic omnis qui se separat à bonis, in periculo magni naufragij & animi, & corporis constituitur, maximè si diuerterit ad malos, Deum non timentes mundi amatores, diaboli affectas, vt hic Iudas. cur autem Iudam elegerit Christus in Apostolum cum sciret fore sui proditorem? mira vulgo questio, sed eruditis non tanti momenti, elegit enim Dominus Iudam, non vt proderet, sed vt prodicionem ceteraque crimina dedisceret. Postquam tamen ista dediscere noluit vsus est Dominus eius malicia in bonum publicum, & permisit eam esse priuato exitium. Quomodo vero in bonum publicum vertit Iudæ malitiam Christus? pulcherrimè, illam namque adiecit ad cumulum passionis suæ, sinens eam esse plenissimam malorum omni genere inter quæ fuit pati quoque à discipulis, & prodi ab eorum vno: tum vt doceret nos altissimam viam patientiæ, tum vt ostenderet vim libertatis humanæ.

O Desiderium Sanctum Christi Domini mei admittentis omne genus tormentorum! ô amor Christi inscrutabilis! ô virtutum omnium exemplar primum & vltimum, quis mortalium eligere vellet sibi amicum quem sciret futurum sui acerbissimum proditorem! quis socium vitæ & mensæ quotidie & ad arcana ipsa pectoris patefacienda adhibere, nisi esse Deum cum eo: sis ergo mecum Deus meus vt tuo edoctus exemplo beneficiam his qui oderunt me, si à socio desertus, si ab amico proditus fuero, moderate feram, errasse in me iudicium, in illo perijsse beneficium.

§. 26. *Qui audientes gauisi sunt. v. 11.*

Quinam illi? Summi Sacerdotes, Scribæ & Pharisei, quibus se obtulerat, hi enim audientes Iudam de voluntate prodendi Christum Dominum & magistrum suum sese offerre & modo, & tempore opportuno super quibus iam ipsi parum efficaciter conuenerant consulando in aula Pontificis, ad hæc eundem Dominum odio habentes maximo, cum despecto non possent quidquam pacificè loqui aut audire, gauisi sunt gaudio maligno de oportunitate, sicut qui *latantur in messe & sicut exultant victores captiua præda, quando diuidunt spolia*: ô miserum mortale genus! ô insipientes Pontifices & male doctos in lege: sicine docuit lex vestra gaudere in prodicione alicuius: nonne proditor Domini dignus morte? qua igitur dignus pena, qui lætatur in ea, iuuat & acceptat, nunquid non eadem pena maintainendus, & qui furatur, & adiunat furem & furtum: quomodo igitur lætati mini in tam enormi prodicione? lex vestra condemnat vos, eadem ait vos & proditorem istum dignum esse pena, qui eidem involuti estis & culpam Domini